

ARCHIVO CONCILIO VATICANO II

P. JORGE MEDINA E.

CARPETA E. I. 1 ..... N° 1 .....

REFERENCIAS.....

Adumbratio Schematis Constitutionis Dogmaticae

DE ECCLESIA

1963.-

*Antecedente para  
el texto gris Tors  
I-II*

1.- Nota explicativa de constructione Capitis I.

Post prooemium generale, in quo annuntiantur subiectum tractandum et scopus expositionis, imprimis describitur natura Ecclesiae, ut aeterni Patris de universali salute consilium, per Fili missionem executioni mandatum, et a Spiritu sanctificante completum (nº 1-3). Haec est Ecclesia de Trinitate.

Deinde exhibentur relationes inter Ecclesiam et Christum, qui in Ea praesens remanet, Eam ut corpus suum et Sponsam suam constituit, et ut Jerusalem eschatologicam (nº 4-6).

Pressius denique delineatur Ecclesia in terrestri sua peregrinatione. Est enim societas organizata, ut complexa totalitas mediorum salutis, quae in communitate sub Pontifice Romano et Episcopis in eius communione invenitur (nº 7). Ad quam aliter ac aliter referuntur catholici, christiani separati et non-christiani (nº 8-10).

2.- Postulatio generalis.

Plures Patres et etiam periti petunt ut Concilio placeat indicationem claram de valore obligatorio diversarum suarum declarationum praebere.

Constitutio certe est actus magisterii extraordinarii et universalis, sed non intendit doctrinam infallibilem et irreformabilem imponere, nisi ubi intentio ex textu vel contextu est manifesta.

Adumbratio Schematis Constitutionis dogmaticae  
DE ECCLESIA

---

Introductio.

Lumen gentium cum sit Christus, haec Sacrosancta  
Synodus, in Spiritu Sancto congregata, omnes homines in  
caligine huius saeculi viventes claritate Eius, super faciem  
5 Ecclesiae resplendente, illuminare vehementer exoptat, omni  
creaturae bonum Dei verbum annuntiando (cfr Mc XVI, 15).  
Cum vero Ecclesia sese in Christo ut sacramentum intimae  
totius generis humani unitatis eiusque cum Deo unionis  
cognoscat, naturam missionemque suam universalem instantius  
10 fidelibus suis et mundo universo praedicare intendit,  
praecedentium Conciliorum argumento instans, illudque  
sermone menti hodiernae pervio enucleans. Condiciones enim  
huius temporis huic Ecclesiae officio novam urgenteremque  
addunt vim et instantiam, ut nempe homines cuncti, variis  
15 hodie vinculis socialibus, technicis, culturalibus arctius  
coniuncti, plenam etiam unitatem in Christo consequantur.

Caput Ium - DE ECCLESIAE MYSTERIO

---

1.- Aeterni Patris de universali salute consilium.

Aeternus Pater, qui ad manifestandam perfectionem  
20 suam per bona quae creaturis impertitur (cfr Conc. Vatic. I,  
Denz. 1783), liberrimo et arcano sapientiae ac bonitatis suae]  
consilium mundum universum creavit, hominesque ad participandam

vitam suam divinam elevare decrevit, lapsos in Adamo non dereliquit, semper eis auxilia ad salutem praebens, intuitu Christi, Redemptoris, qui est imago Dei invisibilis, primogenitus omnis creaturae (Col. I, 15). Filium autem suum 5 ad hoc praedestinavit, ut de populo electo secundum carnem natus, omnes sua morte redimeret, fratresque suos in filios Patris constitueret et ad regnum suum transferret (cfr Col. I, 13), eosque non tantum singulatim, quavis mutua connexione seclusa, sanctificaret, sed in Populum Dei, novum genus 10 electum, regale sacerdotium, gentem sanctam sub uno Capite constitueret (cfr 1 Petr. II, 9). Haec est sancta Ecclesia iam ab originibus humani generis inaugurata, in electione veteris populi ac foedere antiquo mirabiliter praefigurata et praeparata, et in novissimis temporibus omnibus manifestata.

## PATRIMONIO UC

15 2.- De missione Filii.

Misit igitur Pater Filium suum, ut filios Dei, qui erant dispersi congregaret in unum (cfr Jo. XII, 52), totique humano generi validissimum et firmissimum esset unitatis principium. In quo novum foedus instituit (cfr Mt. XXVI, 20 28 etc.), et in quo resurgente novam creationem instauravit (Gal. VI, 16) quae non secundum carnem sed in Spiritu ad unitatem coalesceret essetque novus Populus Dei. Sicut vero Israël secundum carnem, qui in deserto peregrinabatur, Dei Ecclesia appellatus est, ita novus Israël qui in praesenti 25 saeculo incedens, futuram eamque manentem civitatem inquirit, Ecclesia Christi nuncupatur, quippe quam Ipse sanguine suo acquisivit, suo Spiritu replevit, aptisque mediis visibilis seu socialis unionis instruxit, eam super Petrum et Apostolos aedificans. Congregatio eorum, qui in Jesum salutis auctorem 30 et pacis ac unitatis principium credunt, est Ecclesia ab Eo convocata et legitime constituta, ut sit sacramentum universale

et visibile huius salutiferae unitatis. Ad universas regiones extendenda, in historiam hominum intrat, ipsa supra tempora et fines populorum **existens**.

3.- De Spiritu Ecclesiam sanctificante.

5 Opere autem consummato quod Pater Christo dedit in terra faciendum (cfr Jo. XVII, 4), misit Deus Spiritum Filii sui in corda nostra (cfr Gal. IV, 6), in quo uno Spiritu accessum habemus ad Patrem (cfr Eph. II, 18). Ipse est Spiritus vitae seu aqua saliens in vitam aeternam  
10 (cfr Jo. IV, 14), qui homines peccato mortuos in Christo resuscitat (cfr Rom. VIII, 10 ss.). In fidelibus et in Ecclesia tamquam in templo habitat, Ipso operante, ut sint omnes superaedificati super fundamentum Apostolorum, ipso summo angulari lapide Christo Iesu (cfr Eph. II, 20). Eccle-  
15 siam diversis denis et charismatibus suis dirigit et fructibus suis adornat (cfr Gal. V, 22), eam vivificando et unificando, ita ut principium vitae seu anima Ecclesiae vocari potuerit. Ubi Ecclesia, ibi et Spiritus Dei; [et ubi Spiritus Dei, illuc Ecclesia et omnis gratia] (S. Irenaeus, Adv. Haer.,  
20 III, 24, 2). Ipse per virtutem Evangelii iuvenescere facit Ecclesiam eamque perpetuo renovat (Ib., III, 24, 1), et ad consummatam cum Sponso suo unionem adspirantem perducit. Nam Spiritus et Sponsa dicunt : "Veni, Domine Iesu" (cfr Apoc. XXII, 17 et 20). Sicque apparet universa Ecclesia ut  
25 "de unitate Patris et Filii et Spiritus Sancti plebs adunata" (S. Cyprianus, Orat. Dom., 23).

\* *In quo omnis aedificatio constructa erescit in templum sanctum in Domino (8f. 2,20).*

4.- De Christo in Ecclesia praesente.

c 2

Variis modis et sub pluribus imaginibus in Evangelio ac scriptis apostolicis relationes inter Christum et Ecclesiam exhibentur.

- 5 Dominus Jesus, Propheta magnus, summus Sacerdos et supremus Rex universorum, post passionem suam exaltatus et glorificatus, populum suum in terris preregrinantem et vestigia sua saepe in tribulatione sequentem non derelinquit, praesentia sua corporali orbatum et orphanum. Spiritum  
10 Sanctum suum Ecclesiae donat, ut eam confortet et illuminet, atque in reddendo testimonio adiuvet; Ipseque, ut pollicitus est, cum discipulis, in nomine Eius congregatis, permansurus est, in medio eorum commorans (cfr Mt. XVIII, 20) et per fidem in cordibus eorum habitans (cfr Eph. III, 17). Mise-  
15 ricordia motus, sicut in deserto turbas nutriebat, nunc per orbem terrarum pane doctrinae et pane Eucharistico populos reficit, et ad Seipsum in gloriam suam coelestem suaviter attrahit, ut sic semper cum Eo simus (cfr 1 Thess. IV, 17). Stat ad ostium animarum et pulsat: qui audiunt  
20 vocem Ejus et aperiunt Illi ianuam, intrat ad illos, et coenat cum illis, et ipsi cum Eo (cfr Apoc. III, 20).\*

5.- De mysterio Corporis Christi.

- Mysterium sapientiae Dei in hac Spiritus praesentia et intima cum Christo unione per Ecclesiam  
25 revelatur et dispensatur (cfr Eph. III, 9-10). Vita Christi resuscitati in membra Ecclesiae diffunditur, ut cum Christo

---

\* Nota. - Omnes periti de doctrina in hac paragrapho expressa concordant. Quidam tamen putant hanc partem non esse necessariam, vel potius alibi reponendam. (*Gagnelot*)

unum corpus efficiant, qui de uno pane omnes participant  
(cfr 1 Cor. X, 17). Singuli autem sunt alter alterius membra,  
habentes donationes secundum gratiam quae data est eis  
differentes (cfr Rom. XII, 6). Omnes in unum corpus bapti-  
5 zati et in uno Spiritu potati sumus (cfr 1 Cor. XII, 13).  
Quod unum corpus multis ac diversis constat membris in  
tribulatione compatientibus et in gloria congaudentibus  
(cfr 1 Cor. XII, 26-27). Huius corporis caput est Christus,  
"ut sit in omnibus Ipse primatum tenens, quia in Ipso  
10 complacuit omnem plenitudinem inhabitare" (Col. I, 18-19);  
quem dedit Pater "caput supra omnem Ecclesiam, quae est  
corpus eius et plenitudo eius, qui omnia in omnibus adim-  
pletur (Eph. I, 22-23; cfr Col. II, 9-10). Ad cuius aedi-  
ficationem Ipse ministeria varia instituit, ut veritatem  
15 facientes in caritate, crescamus in Illo per omnia, qui est  
caput Christus (cfr Eph. IV, 12-15), "ex quo totum corpus,  
per nexus et coniunctiones subministratum et constructum,  
crescit in augmentum Dei" (Col. II, 19). Nemo vero ad  
Christum pertinet, quin ad eius Corpus pertineat; "si quis  
20 autem Spiritum Christi non habet, hic non est Eius" (Rom.  
VIII, 9).

6.- De Sponsa Christi, aliisque Ecclesiae figuris.

Quandoque alio ac mirabili modo Ecclesia  
tamquam Sponsa Christi vel Agni immolati describitur  
25 (cfr Apoc. XXI, 9), quam ante Se positam et mundatam Sibi  
voluit ex dilectione subditam et coniunctam (cfr Eph. V, 22 ss),  
et quam bonis coelestibus in aeternum cumulavit, ut Dei et  
Christi erga nos caritatem, quae omnem scientiam superat  
comprehendamus (cfr Eph. III, 19). Variis insuper et pro-  
30 fundis figuris appareat Ecclesia ut vera creatio Dei, nova

et spiritualis (cfr Gal. II, 15), habitaculum Spiritus Sancti, Dei familia et domus, coelestis vel in terris consistens, regnum coelorum in hoc aevo praelibatum; quam sanctam civitatem, Jerusalem novam, Joannes contemplatus 5 est, descendenter de coelis a Deo, paratam sicut Sponsam ornatam viro suo, tabernaculum Dei cum hominibus (cfr Apoc. XXI, 21).

7.- De Ecclesia in terris peregrinante.

Ecclesia Christi, <sup>fidei,</sup> amoris et gratiae communitas, 10 his in terris mediorum sanctificationis compage constat. *et sustentatur* Societas autem visibilis et mysticum Christi corpus, non binae res sunt sed una tantum quae humano et divino [se *coalescent elementa.*] <sup>praefert aspectu,</sup> quae ergo ob analogiam non parvam incarnationi Verbi mysterio assimilatur. Sicut enim natura assumpta 15 Verbo divino ut vivum instrumentum salutis inservit, ita *Organismus socialis* <sup>(Ecclesiae) societas</sup> Spiritui Christi in aedificatione Corporis servit. Docet autem Sacra Synodus et solemniter profitetur non esse nisi unicam Jesu Christi Ecclesiam, quam in Symbolo unam, sanctam, catholicam et apostolicam celebramus, 20 quam Salvator redivivus Petro et Apostolis eorumque successoribus pascendam tradidit, et <sup>super illas</sup> sub illis in salutis sacramentum columnam et firmamentum veritatis erexit (1 Tim. III, 15). Haec igitur Ecclesia, vera omnium Mater et Magistra, in hoc mundo ut societas constituta et ordinata, 25 est Ecclesia catholica, a Romano Pontifice et Episcopis in eius communione directa, licet elementa <sup>plura</sup> *quaedam* sanctificationis extra totalem compaginem inveniri possint. Ut sacramentum Christi, Ecclesia est signum in nationibus levatum, quibus etiam in paupertate evangelica testimonium 30 mitis et humilis Jesu praebet, missionem suam implens, ut

omnes homines quos ardentissime ad se vocat, ad regnum coeleste in gloriam Patris perducat.

8.- De catholicis in Ecclesia.

*tum in l. script.*

Docet Sancta Synodus cum Sacra Traditione, in  
5 Scripturis fundata, Ecclesiam esse institutum necessarium  
ad salutem, ideoque illum salvari non posse, qui, sciens  
Ecclesiam Catholicam a Deo per Jesum Christum ut necessariam  
esse conditam, eam tamen renuat intrare vel in eadem perse-  
verare. Illud enim quod Revelatio de necessitate baptismi  
10 affirmat (cfr Mc XVI, 16; Jo. III, 5), absque dubio simi-  
liter de Ecclesia valet, in quam homines per baptismum  
tamquam per ianuam intrant.

Reapse et ~~sine restrictione ad~~ Ecclesiae societatem ~~incorporatur~~  
~~pertinent~~ illi tantum qui integrum eius ordinationem omniaque  
15 media salutis in Ea instituta agnoscunt, et in compage visi-  
bili eiusdem cum Christo eam per Summum Pontificem et  
Episcopos regente, iunguntur, vinculis nempe ~~baptismi~~, <sup>sacramentorum</sup>  
1 professionis fidei et ecclesiasticae communionis. Non sal-  
vatur tamen, licet ad Ecclesiam pertineat, qui in fide,  
20 spe et caritate non vivit, sed peccans in sinu Ecclesiae  
"corpore" quidem sed non "corde" remanet (cfr S. Augustinus). /morte.  
Memores ~~ergo~~ sint omnes Ecclesiae filii condicionem suam  
eximiam non propriis meritis, sed peculiari gratiae Christi  
esse adscribendam; cui si cogitatione, verbo et opere non  
25 correspondent, nedum salventur severius iudicabuntur.

(Voto autem ad Ecclesiam ordinantur Catechumeni, qui  
Spiritu Sancto movente, conscientia et explicito desiderio ad  
Ecclesiam adspirant. Quod suo modo iidem praestant, qui nes-  
cientes Ecclesiam Catholicam esse veram et unicam Christi  
30 Ecclesiam, sincere, adiuvante gratia, voluntatem Christi

adimplere volunt, vel si Christum ignorant, voluntatem Dei et Creatoris sui, qui vult omnes homines salvos fieri.)\*

*De rebus*

*xlians non catholicis*

9.- De unione Ecclesiae cum acatholiceis.

Cum omnibus illis qui, baptizati, christiano  
nomine ~~decorantur~~ <sup>in signantur</sup> sed integrum fidem vel unitatem communionis  
sub Romano Pontifice non profitentur, Ecclesia, pia omnium  
Mater, semetipsam scit plures ob rationes coniunctam.  
Amanter enim credunt in Christum, Filium Dei Salvatorem,  
baptismo indelebili signantur, imo omnia aut saltem quaedam  
sacramenta agnoscent et accipiunt, et plures eorum fide ~~et~~  
~~devotione~~ erga Sanctissimam Eucharistiam ~~fidei~~ <sup>et</sup> ~~amoris~~ erga  
Deiparam Virginem ~~eminent~~. Accedit orationum aliorumque  
beneficiorum spiritualium communio; imo quaedam in Spiritu  
Sancto coniunctio, quippe qui non solum donis et gratiis  
intra Catholicam agit, sed sua virtute sanctificante etiam  
in illis operatur. Ita in cunctis Christi discipulis desi-  
derium actionemque suscitat, ut omnes, ~~modo a Christo~~  
~~stabilito~~, in uno grege sub uno Pastore pacifice uniantur.  
Quod ut obtineat Ecclesia precari, sperare et agere non  
desinit, omnesque ad orandum et cooperandum exhortatur.  
~~purificati et renunci signum Xli super faciem Ecclesie clavis~~  
~~effulgere faciant.~~

\* Nota. - Doctrina, in hac ultima paragrapho expressa  
ab omnibus peritis admittitur. Plures tamen  
eorum aestimant hanc explicationem proprie theologicam  
(scilicet de modo quo necessitas Ecclesiae cum volun-  
tate salvifica universali cohaereat) non esse a  
Concilio imponendam.

10.- De non-christianis ad Ecclesiam adducendis.

Ecclesia, ut omnes qui ad fidem christianam nondum pervenerunt, ad regenerationem in Corpore Christi perducat, instanter operatur. Ad omnes enim homines missa est, pro quibus Dominus sanguinem suum fudit, ut eos ad Regnum suum vocaret et dirigeret. Quapropter Ecclesia ab orando et praedicando quiescere nequit, donec omnes in Ea incorporentur, sive Domino iam prope (<sup>int</sup>fuerint) (cfr Eph. II, 11-13), tamquam ~~Israelitae~~, fratres Eius secundum carnem, <sup>quibus date</sup> ~~quorum~~ sunt testamenta et promissa (cfr Rom. IX, 4-5), sive longe ab Eo, sed non derelicti Deum creatorem agnoscant, vel in umbris et imaginibus Deum ignotum quaerant ~~sierint~~ (cfr Act. XVII, 23). Quidquid enim boni apud illos invenitur, ab Ecclesia tamquam praeparatio evangelica <sup>ad</sup> aestimatur et lumen a Deo datum, qui ab initio mundi <sup>salutem omnium</sup> redemptionem hominum efficaciter intendit. Qui corde sincero veram Dei et Christi Ecclesiam ignorantes quaerunt, si salutem quidem sperare possunt, tamen in terris agnitione Christi et glorificatione Patris non locupletantur.

Quapropter Ecclesia indesinenter impellitur, ut omnes non baptizatos ad Corpus Christi adducat, ut sic via salutis pro eis latius pateat.

Ita, dilatata caritate, Ecclesia cor suum universis hominibus totique mundo aperit, ut per Dominum suum, Regem universorum, sit feliciter lumen omnium gentium. \*

\* Nota. - Numeri 9 & 10 in genere tantum a peritis approbati sunt et non usque ad ultimum apicem critico examini subjecti. Expectant periti indicationes quas Patres praebere voluerint.